



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Aqvæ Vitæ, De Fontibvs Salvatoris. hoc est, Doctrina
Evangelica De Meditatione mortis**

Kispenning, Henricus

Antverpiæ, 1583

Parabola de Publicano Lucæ VIII. xlj.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46214](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46214)

illi debito penitus dimisso. Sed rursus detestandā summam ingratitude[m] & crudelitatem eius, qui inopabilem clementissimi Domini benignitatem expertus in remissione maximi debiti, quo quisque certe Deo est obstrictus, paruum recusat debitum in se admissarum iniuriarum conseruo remittere. Ostendit ergo hac Parabola indulgentissimam caelestis Patris clementiam in supplices seruos: si vixissim illi remiserint, unusquisque fratri suo, ex cordibus suis.

Parabola de Publicano. Luc. 18.

Publicanus à longe stans nolebat nec oculos in caelum CAPVT.
 eleuare: sed percutiebat pectus suum, dicens: Deus XLI.
 propitius esto mihi peccatori. Dico vobis, descendit hic
 iustificatus in domum suam.

PARABOLÆ ELUCIDATIO.

Publicanus nihil aliud quam Misericordiam petit. Nulla prae tendit merita: nullas adfert excusationes in peccatis: Sed libere se peccatorem confitetur. Et dum sibi Dei implorat propitiationem, hoc est, placabilitatem: significat id maxime animum ipsius torquere, quod Deum offensum haberet: nil magis optare, quam habere eam placatum & amicum. Ad eundem ferme modum precatus est & David, dicens: Propter nomen tuum Domine propitiaberis peccato meo: multum est enim. Deinde D. N. Iesus Christus, Dico, inquit, vobis: descendit hic iustificatus in domum suam: hoc est, Dei gratia iustus effectus. In hac autem Domini sententia hoc obseruandum: quanta sit Dei benignitas, qui tam breui oratione, tamque parua poenitentia superatus, mox poenitentem in gratiam recepit. Neque enim Deus verba tantummodo audiuit, verum etiam animum inspexit: quem cum humiliatum contritumque comperiret, misertus benignissime egit.

L Para-

Cornilansenius.

Psal. 24.